XVIII. CROTON Spicatum, *nova Plantæ Species ex* America, *quam Deſcriptione ex icone illuſtravit* Petrus Jonas Bergius, *M. D. Hiſt. Nat. et Pharm. Profeſſ.* Stockh. *R. Colleg. Med. Aſſeſſor, Reg. Acad. Scient.* Stock. *Membr.*

Read April, 21, 1768.

SCIENTIÆ rei herbariæ ulteriori perfectioni nihil perinde conducere arbitror, atque idoneas plantarum novarum minuſve cognitarum deſcriptiones, præſertim ubi bonæ etiam acceſſerint icones. Ut enim in omnibus aliis ſcientiis magnopere expedit, quarumcunque rerum eo pertinentium ignorantiam vel incertitudinem, quoad fieri potuerit, tolli, ita valde quoque opportunum ſcientiæ contingit botanicæ, quotieſcunque novæ rariſſimæque plantæ in lucem proferuntur, et quidem ita proferuntur, ut quælibet partes earum eſſentiales, quoad licuerit, et illucide adumbrentur. Certe quidem hoc generatim de omnibus valet plantis, ad quodcunque demum ſtirpium pertinuerint genus; nulla enim unquam detecta fuit ſpecies, quin attentione fuerit digniſſima; tamen ſolent ſpeciatim illæ ipſæ noviter detectæ ſpecies impenſiori excipi eruditorum attentione et applauſu, quæ ad genus quoddam pertinent, in quo una pluresve ſpecies virtute uſuque aliquo ſingulari, vel medico vel œconomico, dudum inclaruerunt, quippe quoniam ſuſpicari fas ſit, in cunctis ſpeciebus affinibus quodammodo conſonas, ſaltem non multum alienas, ineſſe vires.

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775).* www.jstor.org

Hocce reſpectu operæ profecto pretium fuerit, rariſſimam quandam ſiſtere ſpeciem, ad amplum illud pertinentem ſtirpium genus, quod utraque potiſſimum India profert, quodque botanicis *Croton* audit. Etenim non una duntaxat, ſed plures ſpecies, ſub unius generis vexillo comprehenſæ, ob eximium in medicina aut œconomia uſum multo dudum nomine ſunt, quod quidem ſatis ii norunt, qui ex merito æſtimare didicerunt *Croton Caſcarillam*, *Croton febiferum*, *Croton Tiglium*, *Croton tinctorium*, atque *Croton aromaticum*. Hinc ubi nova eidem huic generi accedit ſpecies, adeo non id a botanicis ferri poterit indifferenter, ut potius non poſſint non pronum eo advertere animum oculoſque. Et vero etſi nondum quidquam de ulla novæ ſtirpis virtute conſtet, tamen id movere potuerit neminem, qui, uti par eſt, cogitaverit, præcedere ſemper ante oportere primam rei cujuſque notionem, quam vel minima de qualitatibus ipſius oboriatur quæſtio.

Hiſce jam penſitatis, propius me ad ea, quæ de planta mea obſervanda habui, confero. Et quidem ideo illam novam dicebam, quod cum manca duntaxat ac admodum imperfecta mentione ad notitiam botanicorum pervenit, adeoque nec ab ullo adhuc ſyſtematicorum in album ſtirpium cognitarum eſt relata. Certe LOEFLINGIO noſtrati in America peregrinanti, illam ipſam viſam fuiſſe, haud obſcure ex itinerario ejus patet, ubi tamen non niſi breviter et quaſi per tranſennam unam alteramque ejus tradit notam, quanquam quidem fuſius ſine dubio reliqua perſecutus fuiſſet, niſi fato occubuiſſet præmaturo. Ceterum nec multum refragabor, ſi quis contenderit, arborem illam mali folio, quam profert doctiſſ. H. SLOANE, *Hiſt. Jam. tom.* ii. *p.* 30. *tab.* 174. *f.* 1.

Croton

Croton eſſe ſpicatum, tametſi non negem, unam alteramque diſcrepantiam cerni poſſe evidentiorem, quod fortaſſe maximam partem pictori tribuendum; interim tamen ſuadent convenientiam imprimis ſpicæ terminales, ut reliqua taceam.

Icon adjecta fruticis ramulum exactiſſime refert magnitudine naturali, lectum ante biennium Havanæ a chirurgo N. RUDOLPH.

TAB. VII.

CROTON.

CROTON *(ſpicatum)* foliis ovatis glabris, ramis nudis, florum racemis ſpicatis terminalibus. Croton foliis ovatis, floribus ſpicatis, ſtylis multifidis depreſſo patentibus, fruteſcens. LOEFL. *It. p.* 234. *n.* 50.

Mali folio arbor, artemiſiæ odore, flore pentapetalo ſpicato. SLOAN. *Hiſt. Jam.* ii. *p.* 30. *t.* 174. *f.* 1. vix bona. *Cat. Jam.* 139. RAJ. *dendr.* 17. Habitat Havanæ in America.

DESCR. *Caulis* fruticoſus, ramoſus. *Rami* ſubdeterminati, cinerei, ſubrugoſi, erecti, nudi, cicatricibus obſoletis, ramuloſi. *Ramuli* conſimiles; tenelli, glabri, ſulcati. *Folia* ſolummodo in ramis tenellis, alterna, ovato oblonga, integerrima, baſi rotundata, apice ſublanceolato, obtuſo, firmiuſcula, utrinque glabra, petiolo inſtar nervi longitudinalis diſcum folii ſubtus percurrente, nervis obliquis tenuioribus nervoſa, bipollicaria vel paulo ultra, frequentia, petiolata, patentia. FLORES MASCULI racemoſo-ſpicati, pedicellati. *Racemi* terminales, pyramidales, compactiuſculi, ſolitarii, pedunculati. *Bracteæ* lineares, obtuſæ,

CROTON spicatum.

Arre delin.

J. Mynde sc.

fæ, glabræ, ad baſin pedunculi racemi ſitæ. *Pedicelli* ſubpubeſcentes. CALYX. *Perianthium* decaphylli ſæpe ultra, imbricatum: ſquammis ſubæqualibus, ovatis, obtuſiuſculis, extus glabriuſculis, intus hirſutis: hirſutie albida. COROLLA nulla. STAMINA. *Filamenta* xii, ſæpe ultra, ſubulata, inferne hirſuta, erecta, longitudine calycis. *Antheræ* ſubrotundæ, compreſſæ, ſubtetragonæ, erectæ. *Receptaculum* ſtaminum hirſutum. FLORES FEMINEI ſolitarii, ad baſin pedunculi racemi maſculini intra bracteam ſiti pedunculati, erecti. CALYX. *Perianthium* pentaphyllum, infernum: foliolis lineari-lanceolatis, acutiuſculis, erectis, ſubæqualibus, minutiſſime punctatis, ſubſcabiuſculis. PISTILLUM. *Germen* ſubrotundum, compreſſum, ſubhirſutum. *Styli* tres, longitudine calycis, infima baſi cohærentes; ſinguli ad medium ſexfidi: laciniis ex uno puncto prodeuntibus, ſubulatis; unde ramoſi apparent. *Stigmata* xviii, obtuſa.

OBS. A Croto glabello LINN. caute diſtinguendum; etenim in illo rami folioſi, flores racemoſo-paniculati, axillares.

XIX. *Ob-*